



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1714**

Q. 61. An irregularitas ex delicto incurratur ab illo, qui committit delictum, sed invincibiliter ignorat irregularitatem esse annexam tali delicto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42682**

laris, ob defectum voluntarii : secus tamen, si  
dictam diligentiam omisit, omissione mortali.  
Bon. p. 7. Less. l. 2. c. 9. d. 15. &c. Alii tamen dicunt,  
quod dans operam rei illicitæ, ex quavis culpa,  
etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem,  
Panorm. Covar. M. Leo, p. 3. f. 354.

IX. Qui alterum mutilat vel occidit ad ne-  
cessariam sui defensionem, cum moderamine  
in culpa & tutelæ, non incurrit hanc irregulari-  
tatem, quia hic nulla est culpa, ergo nec pœna,  
M. Leo, f. 349.

## A D D E N D A.

Quest. 61. An irregularitas ex delicto incurratur 482.  
ab illo, qui committit delictum, sed invincibiliter  
ignorat irregularitatem esse annexam tali delicto. R. Ne-  
gant Abb. Nav. Regm. Portel. Sanch. De Matr. l. 9. d.  
32. n. 17. & 21. Schiara l. 4. diff. 32. quorum sen-  
tentiam Castrop. d. 6. p. 6. n. 3. Dian. p. 3. t. 5. R.  
67. Dicast. d. 7. n. 91. agnoscunt esse probabilem,  
quia, qui nescit censuram esse delicto suo anne-  
xam, non incurrit illam secundum dicta n. 95.  
ergo similiter hic. Oppositum est probabilius  
cum plurimis, inter quos Felin. Suar. Az. Wex. p.  
5. tr. 2. contr. 5. & certum esse dicit Carden. in  
1. crisi d. 75. n. 37. Ratio est 1. quia irregulari-  
tas non est propriè pœna, aut saltem non est me-  
dicinalis, requirens scientiam vel contuma-  
ciam, uti censuræ, sed est quædam macula mo-  
ralis & inhabilitas annexa à Jure, propter quam  
arceatur aliquis ab altaris ministerio, sic enim  
Canones dicunt indecens esse, ut qui fudit san-  
guinem humanum per homicidium, offerat san-  
guinem Christi per Sacrificium, ad quam inde-  
cen-



centiam peraccidens se habet, quod sciat vel ignoret irregularitatem esse annexam. 2. Impedimenta Matrimonii Jure statuta v. g. affinitas ex copula illicita, impedimentum uxoricidii &c. incurruntur etiam ab eo, qui ignorat esse annexa tali crimini, quia sunt inhabilitates, licet habeant aliquam rationem poenae, uti dictum est l. 6. p. 3. n. 642. ergo similiter hic.

483. Q. 62. Quid praeterea addendum sit circa irregularitates ex delicto. R. §. 1. Si quis alium, quem scit esse baptizatum, rebaptizet sub conditione, si non sit baptizatus, non fit irregularis, quamvis peccet graviter, quia cum apponat conditionem illam, reipsa non vult reiterare Baptismum, Nav. Suar. Cón. Bonac. Castrop. d. 6. p. 16. n. 6. Dicast. d. 7. n. 411. contra Sar. Sayr. & alios. Multa alia dubia habet ibidem Dicast. circa hanc Baptismi iterationem; notat autem n. 429. Episcopum posse dispensare in hac irregularitate, dummodo alteruter Baptismus sit occultus, hoc ipso enim, quod unus illorum Baptismorum ignoretur, etiam ignoratur rebaptizatio.

484. §. 2. Qui iterat Confirmationem vel Ordinem, non ideo fit irregularis, quia Jura dicunt id tantum de iteratione Baptismi, Covarr. Suar. Cón. Castrop. n. 13. Dicast. n. 426. contra Nav. Major. & alios.

485. §. 3. An laicus fiat irregularis, si extra necessitatem baptizet aliquem solenniter, aut si attentet aliquem sacramentaliter absolvere, uti irregularis fit Clericus non Sacerdos, disputant Auctores, Suar. Nav. Val. & alii affirmant, sed probabilius negant Hurt. Lugo De poenitentia, d. 18. n. 14. Sporer. De poenitentia n. 657. quia de laico nil habetur in Jure, sed haec omnia dicuntur sub